

æ destructa & cremata, per destructionem generationis,  
uæ versa est de corruptione in generationem, & postmo-  
rum de generatione in corruptionem. Et similiter de corpo-  
ibus impuris est mundus resolutus, & elemēta corrupta, per  
quam corruptionem omnia per naturam facta & viventia  
sunt, & fuerunt parvæ durationis. Quia natura in sua materia  
grossa & corrupta non potest tam perfectum quid facere, sic  
ut faciebat in suo principio, quod plus non habet ad conti-  
nuandum suum opus primum. Imo natura utitur imperfe-  
ctione ad corruptionem tendente, quia de die in diem natu-  
ram elementorum minus puram invenit, quia illud, quod po-  
suit in opere, perfectum opus emendare non potest, sed sem-  
per paulatīvè decrescit. Semper tamen natura secundum suū  
posse componit, & ponit simul partes fortiores ligamenti. Et  
per hanc doctrinam fili artis intendere potest verbum Sal-  
vatoris, quod in fine mundi omnia consumet, quando veniet  
ad judicandum sæculum per ignem, videlicet omne illud,  
quod non erit de veritate dictorum elementorum, & omne  
illud, quod est de malo & impuro compositum & factum, cō-  
fundetur, & projicietur in abyssum: omne autem illud, quod  
ignis prædictus cœlestis de virtutibus & pura veritate repe-  
riet supra suam sphærām, vivaciter requiescat in æternum, &  
veniet supra salvatos felices: & malum & impurum supra dā-  
natos cadit per hoc autem potest elucidari & declarari con-  
sideratio, quod omnis res in fine ad proprium locum ibit suū,  
unde primo movebatur. Est etiam intelligendum, quod terra  
hæc, quam colimus, non est verum elementum, sed à vero  
quinto elementata est elemento, pōst per quintam substantiā  
elementalem corporis benè elementati, cuius terra formata  
est de quinta causa, & tunc reperies vacuum à virtute forma-  
tiva prout corpus sine anima, & sicut putredo congregata in  
uno in materia sine forma composita de prædicta infectione  
per reciprocā actionem elementorum unius ad alterum. In  
centro autem est terra pura, & verum elementum, quam i-  
gnis ardere non poterit in die terroris, & sic de aliis elemen-  
tis. Tu cum elucidatione per elucidationem intelligas clare,  
& addas principalem substantiam materialem, de qua sine  
divisione omnia formata in uno fuerunt, quamvis per divi-  
sionem rerum loquuti fuerimus, non tamen sit separata sua  
species, quæ est essentia quinta, quia subtrahes totam princi-  
palitatem elementorum compositorum. Et clare cognoscas  
omnium rerum tria esse principia, videlicet artificiale, exem-  
plare, & materiale.

A 5